DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
RHEUMATISMO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES HENRICUS CUTTING,

Barbadensis,

COLL. REG. CHIR. LOND. SOD.

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOD. EXTRAORD.

NECNON PRÆSES ANNUUS.

Usus, ætas, tempus aliquid appertat novi.

BAGLIVII Præfatio.

Die VIII. ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1809.

PATRI

CARISSIMO,

OPTIMOQUE AMICO,

JOANNI CUTTING,

ARMIGERO,

PIGNUS, ETSI PEREXIGUUM, ANIMI GRATISSIMI,

OB EJUS MAXIMA IN SE BENEFICIA COLLATA,

VERBIS INENARRABILIA;

EA, QUA PAR EST, PIETATE,

HANC DISPUTATIONEM

SACRAM VULT

FILIUS.

J. R. FARRE, M. D.

ET

J. F. D. JONES, M. D.

TESTIMONIUM OBSERVANTIÆ,

OB VIRTUTES QUIBUS ORNANTUR,

ET

ARTEM APOLLINAREM EXCOLENDI PERITIAM,

SUMMO JURE DEBITÆ;

HUNC TRACTATUM

CONSECRAT

AUCTOR.

NECNON,

RICHARDO MERRITT,

ARMIGERO,

CUJUS AMICITIAM, NUNQUAM SIBI OBLIVISCENDAM,

PALAM LUBENTISSIME PRÆDICAT,

QUAMQUE, UT SEMPER MEREATUR, ACERRIME CONTENDET ;

HANC DISPUTATIONEM,

SUMMA OBSERVANTIA,

DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

PROŒMIUM.

Celebritas præpollens hujus Academiæ, et commoda permulta, quæ medicinæ studiosis præbet, tot ad se allicuit, gradum doctoris affectantes; ut, cum prius, conscribendum sit omnibus aliquid ad rem medicam pertinens, quam hos honores ambire liceat, nil fere intentatum restat; imo perpauca, haud sæpius sunt investigata. Nihil antea parum perspectum mihi contigit posse illustrare; et vix

spero me quicquam prolaturum notatu dignius, quam quod jam antea scripserunt alii. Quid disputationis argumentum seligerem, diu et multum dubitabam; et tandem, nihil potius videbatur quam, quicquid de Rheumatismo Acuto innotescit, paucis absolvere; quippe, quem adeo crebro et graviter genus humanum torquentem, permagni medicorum intersit scrutari; nam, etsi non occidere soleat, tamen intus, nimirum cerebro, cordi, eorumve membranis, incumbens, periculo non vacat.

Ante arridet paucis memorare, quid de eo scripserunt veteres, et quidam recentiores, quam signorum historiam tractarem.

Licet inter scripta rei medicæ Patri attributa, rheumatismus loco et nomine proprio careat, non ideo novum esse morbum judicandum, aut HIPPOCRATEM eum ignorâsse. Hic illic sparsim, hunc morbum et arthritidem descripsit; at adeo imperfecte, ut nil fructus

inde sit percipiendum*. Cælius Aurelianus *de Passione Articulorum* † et Aretæus, cujus scripta adhuc magni fiunt, *de Arthritide* ‡ disserentes, multa rheumatismi propria meminerunt; at vero, ut ipse Pater medicinæ, non probe eum discreverunt ab aliis artuum malis: Neque amplius ad hoc contulerunt, ornatus Celsus et Galen; at inscii spectarunt ad eundem; ille *de Manuum et Pedum Articulorumque Vitiis* §, hic *de Ischiade, Podagra et Arthritide* || disputantes.—Ætius ¶, Trallianus ⁎, Paulus Ægineta ⸸ et Rhazes ‡,

---

* Hippocratis Opera, cura Foesii, 1657, pag. 113, 412, 524, 1252.

† Cælii Aureliani Opera, Lugduni, 1567, pag. 513.

‡ Aretæi Opera, cura Boerhaavii, 1735, pag. 65.

§ Celsi Aur. Corn. Opera, lib. iv. cap. xxiv.

|| Epitome Galeni Pergameni Operum, cura Lacunæ, pag. 1267.

¶ Ætii Tetrab. iii. § 4. cap. xxxiii.

⁎ Alex. Tralliani Opera, lib. xi. cap. i.

⸸ Pauli Æginetæ Opera, lib. iii. Ap. 78.

‡ Rhazæ Opera, lib. ix. cap. xc.

Arthritidem, et fortasse alia artuum mala tractantes, rheumatismum quodammodo depinxerunt, et multi alii, quos fusius meminisse, alienum esset.—CÆLIUS AURELIANUS *, GALEN †, TRALLIANUS ‡ et alii voce *Rheumatismus* utuntur, ad quosdam ventriculi intestinive morbos, distillationem e naribus aut arthritidem, designandos.—BALLONIUS, Parisiensis medicus, primus omnium, morbum, quem hodierni rheumatismum vocant, fertur accurate et plenius depinxisse, aliis cognatis discrevisse, et proprio nomine designasse §: Ex quo hic floruit medicus, plurimi scriptores eundem tractarunt, et novis observationibus ornarunt et auxerunt.—CHESNEAU multa ad eum spectantia notavit, sed cum aliis aliorsum relegandis implicita ||. At præ cæteris RIVE-

* Cælii Aureliani Opera, lib. ii. cap. vii.

† Galeni Epitome Operum, cura Lacunæ, pag. 1184.

‡ Tralliani Opera, loc. antea citat.

§ Ballonii Opera, Venet. tom. iv. p. 275. et seq.

|| Observationes Medicæ, lib. iv. cap. iii.

RIUS* et ille celeber SYDENHAM † adeo accurate hunc morbum descripserunt, et tanta solertia illustraverunt, ut nullis secundi videantur. Accuratas etiam ediderunt historias BOERHAAVE ‡ et HOFFMAN §; quos omnes imitati recentiores, parum notitiam ejus auxerunt. At, quanquam scriptores supra comprehensi, tam pulchras et ornatas scripserunt historias, ut fere nil reliqui sit hodernis hic peragendum; nuperi tamen, ad sanationem faciliorem multum contulerunt, plurimis novis et gravissimis prolatis, de quibus infra scribendum est.

---

* Lazari Riverii Opera Medica Universa, Lugduni, 1690, pag. 418.

† Sydenhami Opera, sect. vi. cap. v.

‡ Boerhaavii Aphorismi, Lugduni Batavorum, 1758, p. 368.

§ Hoffmanni Opera, Genev. 1761, tom. ii. pag. 317. Vide etiam Commentaria de Van Swieten, qui meminit opiniones veterum scriptorum de Rheumatismo, 4to, 1722, tom. v.

HISTORIA MORBI.

JAMDUDUM rheumatismum in binas species diviserunt medici; una *acutus, tonicus* vel *febrilis,* altera non *febrilis, chronicus* vel *atonicus,* et apud CULLEN *Arthrodynia* nominantur.—DUNCAN, spectatissimo medicinæ theoreticæ professori placuit, morbum esse quadruplicem, scilicet, *inflammatorium, irritabilem, atonicum* et *paralyticum;* primum, per quem idem intelligit quod alii per acutum, solummodo febre stipari *.

Propriis insigniuntur notis singuli horum et optimo jure summum medicorum studium

* Principia Medicinæ a Home, lib. ii. pars iv. sect. iii. Cullen's First Lines of the Practice of Physic, Part i. Book ii. cap. xii. et Synopsis Nosologiæ Methodicæ ejusdem auctoris, edit. ult. pag. 246.

sibi adsciscunt; nobis tamen in animo est, de Rheumatismo Acuto, proprie disserere, cæteros paucis absoluturis.

Definitio. — Hunc morbum multi definierunt, at optime omnium, ni fallor, ille perinsignis CULLEN. SAUVAGES historiam magni habendam at ineptam definitionem, tradidit. Sub ejus Nosologiæ classe *Dolores* et ordine *Vagi*, positum, et in quindecim species, perperam, me judice, diductum, sic definit: "Est "diuturnus musculorum in artubus potissi"mum, dolor, sine coryza, raucedine ac "rheumate *."

LINNÆUS eum inter dolores extrinsecos habet, et ita definivit, "Musculorum dolor ad "motum (a tunica cellulosa infecta) †." Vo-

* Nosologia Methodica, 4to, Amstelodami, 1768. tom. ii. pag. 28.

† Synopsis Nosologiæ Methodicæ, Culleni, edit. 6ta, p. 50.

GEL hancce definitionem habet, "Cutis et "musculorum dolor*." SAGAR, morbo *Phlegmasiis* subjecto et *Myositis* appellato, fusiorem at nihilo meliorem: "Febris acuta inflammatoria, dolores in diversis musculis artuum, "eorundemque involucris, diu noctuque discruciantes, motum vetantes ferme omnem, "ad noctem exacerbantes; sanguis missus est "tectus crusta inflammatoria, subgelatinosa "vel pelle tenui tenaci †." Vix operæ pretium esset singularum definitionum maculas exponere; scire licet omnes præter Cullenianam parum valere, vel ad insigniendum morbum, vel auxiliandum curanti. Apud hujus viri illustris Nosologiam, classi *Pyrexiæ* et ordini *Phlegmasiæ*, subjicitur rheumatismus, et sic definitur: "Morbus ab externa, et plerumque evidente causa; pyrexia; dolor circa "articulos, musculorum tractum sequens, ge-

---

* Synopsis Nosologiæ Methodicæ, Culleni, edit. 6ta, p. 85.

† Idem liber, p. 137 et 158.

"nua et reliquos majores, potius quam pedum "vel manuum articulos, infestans, calore ex- "terno auctus *." CULLEN rite, ni fallor, ad ordinem *Phlegmasiæ* rheumatismum febrilem retulit, quippe qui habeat synocham, tumorem, ruborem et dolorem, inflammationum propria: at vero discrepat multis eodem relegatis morbis; de qua re postea. Definitio maculis non caret. GREGORY, noster eximius medicinæ practicæ professor, negat definitiones rite causas amplecti, aut leges nosologiæ sic servari; et, eo judice, CULLEN, cum morbum definiens, ad causam spectaverit, nempe memorans causam esse externam, debuit meminisse quænam esset. Infra dicendum erit de aliis ejus definitionis culpis.

Indicia Morbi.—Rheumatismus acutus vel tonicus, ut alii morbi classis Pyrexiæ, ex hor-

* Synopsis Nosologiæ Methodicæ a Cullen, p. 244.

rore et frigoris sensu cœpisse consuevit; hæc decedentia excipiunt corpus incalens, arteriæ concitatæ, dure, valide et crebro micantes, sitis, lingua inalbescens. Sæpe initio*, unus aut plures artus dolere solent; paulo post tumere et aliquantum rubere: multum tumoris dolores sæpe lenit †. Aliquando, non nisi secundo tertiove die, invadunt dolor, tumor et rubor, aut ubi accessio febrilis jam infestaverit ‡. Potissimum torquentur artus majores, humeri, cubiti, genua et cætera; rarius articuli digitorum, pedum et manuum; at inter articulos, GREGORY testante, manuum sæpius quam pedum: aliquando coxæ et musculi lumborum et inter costas positi, quorum affectio

* Cullen's First Lines of the Practice of Physic, by Gregory, edit. ult. tom. i. p. 258.

† Idem liber, p. 259.

‡ Principia Medicinæ, a Home, edit. 3tia, p. 181. et Sydenhami Opera, Londoni edit. 1705, p. 237.

pleurodyne appellatur * : fortasse, nullubi corporis, externi musculi hoc vacant malo : ipse curans novi faciem torqueri, accedentibus oculi inflammatione et delirio ; neque dubito quin septum transversum, imo ipsum cor subinde patiantur : at musculos non voluntati obedientes opportunos esse, quos corripiat hic morbus, non convenit inter omnes ; de qua re postea. Artubus affectis, non solum plectuntur vicina juncturis, at musculi has ultra citrave positi. Morbus, nulli definitæ sedi infixus, ex alia petit aliam, iterum eodem rediturus unde profectus esset. Motus et tactus dolores exasperant. Vesperi dolores maxime palantur, et ingravescunt, et febris accenditur ; id quod respicere videtur ultima definitionis vox : GREGORY tamen negat accessiones vespertinas, caloribus, quos stragula lecti

---

* Culleni Synopsis, p. 245.

Ballonius etiam de hoc tractavit. Vide ejus Opera, tom. iv. p. 289.

moliuntur, deberi, id quod multi putârunt; eo, quod alias calor non idem præstat; easque refert ad morbi ipsam naturam, qua, perinde ac hectica et alia mala noctu intenditur: Inde tamen, quibusdam placuit, hunc morbum quodammodo febri intermittenti aut remittenti cognatum esse *. Sanguis emissus, et jam coïens, superficiem coriaceam albam ostendit, et sæpe firmiorem: imo hoc fit subinde post venam sæpius incisam, et morbum inde levatum.

Cutis, initio, et fere per totum morbum, si gravior sit, calere et perarescere solet. Sæpe æger sudore diffluit, nunc copiose, nunc parcius et inæqualiter, febre et dolore nihilo mitioribus: neque ignorare oportet, cætero corpore sudore madente, artum laborantem fere nil sudare.

---

* Saunders' Observations on Red Bark, edit. 4ta, p. 74. Haygarth's Clinical History, p. 47.

Urina plerumque rubet, modo naturalis, et ex ea copiosum dein subsidit.

Alvus contrahi solet, neque tamen desunt exempla ejus sanæ aut solutioris.

Rarius æger cibos fastidit, et evomuit aut delirat; quæ signa morbi non sunt communia. Facies modo rubet, modo pallet.

Consuetis indiciis traditis, ad abnormia et rariora est transeundum. Horum nulla pluris scrutari refert, quam cordis ejusque membranæ vitia; quæ nuper BAILLIE inclytus, fretus testimonio sui familiaris PITCAIRN, memoravit*. HOFFMAN, BOERHAAVE et hujus commentator illustris, de hoc morbo intus verso disseruunt †. De eadem re scripsit STORCK alii-

* Baillie's Morbid Anatomy, edit. ult. p. 46.

† Hoffmanni Opera antea citata, tom ii. p. 320. Boerhaavii Aphor. jam notat. Commentaria de Van Swieten, tom. v. p. 644. et 655.

que*. Horum sententiæ aliis ludibrio fuerunt, et hinc ortæ visæ sunt; quod olim arthritis, sine dubio partes internas interdum tenens, ab rheumatismo male fuit discreta; hinc alii perhibuere hæcce vitia ab illa, non ab hoc orta esse. At nuper quidam medici Londinenses, cor et ejus membranam huic morbo obnoxia esse statuunt: id quod observâsse videtur O'DIER, Genevensis medicus; at, præ diro bello, impediente quo minus ejus opera nobis essent in manibus, quod adhuc de ejus sententia novimus, haud satis est†. CALLISEN et alii de rheumatismo translato scripserunt, et cordis vel pulmonum laborantium meminerunt‡. Porro mihi ipsi, apud Nosoco-

---

* Storck. Annus Medicus 2dus, p. 126.

† Edinburgh Medical and Surgical Journal, vol. ii. p. 448.

‡ Calliseni System. Chirurg. Hodier. tom. i. p. 201.—Memoirs of the Medical Society of London, vol. ii. p. 77.—Haygarth's Clinical History of Rheumatism, p. 61. et seq.—Edinburgh Medical and Surgical Journal, vol. ii. p. 391.

mium Sancti THOMÆ Londini, bis terve illud affectum testari contigit. Hisce, et aliis fontibus, gaudens, hujus affectus indicia nunc memoranda didici; et multum confiteor me, de hac re, docuisse medicos illius Nosocomii.

Gravitas præcordiorum, spirandi difficultas et palpitatio cordis, præsertim noctu, et somnos turbantia, primo urgent. Iste motus abnormis cordis, modo præter consuetudinem sæviens, tamen fere est perpetuus, et vultus summa anxietate contristatur: arteriæ moventur citius sine norma, et cum intermissione, nunc languidius et debilius, nunc valide, plene et dure. His ingravescentibus signis, vultus livet, et sæpe sudore diffluit: modo cito fato quiescunt ærumnæ, modo levantur, tardius occisuræ. Inter hunc cordis affectum artus parum laborant.

Interdum cerebrum tentare videtur rheumatismus, nonnunquam pulmonem, horum

inflammationis speciem inducens*; subinde septum transversum, quod graviter dolet; et sæpe æger singultu laborat. GREGORY meminit, puellam rheumatismo tortam esse, adortos cruciantem capitis dolorem, delirium et stuporem, in citam abeuntes mortem, et cuidam *enteritidem* hunc morbum decedentem consecutam esse; quæ mala rheumatismo, an alieno morbo niterentur, non statuit; ipse nondum sum testatus hæc septi transversi, cerebri, intestinorum vel pulmonis vitia †.

Haud ignorare oportet, exempla non deesse typhi, saltemve synochi rheumatismum comitantis ‡, et desiderantis auxilia solitis contraria.

---

* Haygarth's Clinical History variis locis, et Edinburgh Journal jam antea citat.

† Hujusmodi exempla protulerunt Babington et Curry, de Medicina Practica Londini prælegentes.

‡ De hac re mentionem fert Gregory. Vide etiam Willan's Reports on the Diseases of London, 1801, p. 154. et seq. Saunders on Bark, p. 78.

Sæpius porro acutus chronicum rheumatismum antecedit; quod tamen non est perpetuum; nam interdum ab ipso initio, morbus febre caret; scire etiam juvat multos esse affectus horsum relegandos, quos febris non solet comitari; quales sunt lumbago, ischias, &c*.

Sequælæ Morbi.—Quod ad diuturnitatem febris et dolorum, certa lege caret hæc res; modo, paucis diebus illa finitur, hi mitescunt; modo aliquas hebdomadas trahunt. Sæpe resolutione desinit morbus, ægro sano relicto: neque raro dolor febri superest; et etiamsi hic minus sæviat, ægro tamen haud parum cruciatus adhuc molitur; sic frequenter in *chronicum* abit *acutus*. Jam antea memoravimus quid sentiat DUNCAN noster de hoc morbo, nempe rheumatismum *irritabilem*, vel *atonicum* vel *paralyticum*, esse, quos omnes,

* Sydenhami Opera et Boerhaavii Aphorism. locis antea citatis. Necnon Culleni Synopsis, p. 247.

acutum consequi putat. Per *irritabilem* intelligit morbum, febre conquiescente, doloribus tamen noctu ingravescentibus torquentem; quem statum haud inflammatione, sed quodam partis affectæ nervorum vitio, pendere ei videtur: Per *atonicum*, ARTHRODYNIAM Cullenianam, vel CHRONICUM aliorum: Per *paralyticum*, cui motus artuum perit, et musculi emacrescunt, dolore manente; at noctu, et calore admoto, non intento, sed potius levato.

Porro facultas artuum movendi interdum perditur, ex ligamentis præter naturam cohærentibus, vel, ut nonnullis videtur, in os indurescentibus, quod genus mali *anchylosis* audit *.

Serum in cellulas telæ reticulatæ artus, bursas mucosas vel juncturæ cavitatem, effu-

---

* Boerhaavii Aphorism. Principia Medicinæ a Home, p. 181.

sum modo, procedente morbo, resorbetur *, modo manet, faciens ut artus tumeat, cujus exempla edidit Storck. Cutem hic incisam, secuta sunt ulcera mala ægre sananda, humore flavo et tenace effuso †. At hujusmodi tumores rari sunt.

Rheumatismus multa phlegmone consimilis, raro tamen, imo fortasse nunquam, in exulcerationem aut gangrenam abit; et quamvis, artus sæpe suppurâsse feruntur ab aliis ‡, quia tamen hoc vix conspiciunt exercitatissimi medici quotidie hunc morbum curantes, aliunde provenisse facile statuimus ||. Artubus raro, intus insidens, fere semper occidit, nunc recta per ejus validum impetum, nunc serius,

---

* Cullen's First Lines, vol. i. p. 260.

† Storck. An. Med. 2dus, p. 117.

‡ Tissot. Avis au Peuple, cap. 11. Ferriar's Medical Histories and Reflections, vol. ii. p. 21.

|| Boerhaave, Cullen, &c. &c.

imbecillitatem, eoque hydropem moliendo *. Aliquando resolutio fit, profluvio sanguinis, alvi profusione, et cutis efflorescentia, at multo sæpius corpore toto diffluente sudore †.

Quædam de Sedi Morbi et Sectione Cadaverum.—Rarius medici scrutandi artus hoc morbo mortuorum studiosi fuerunt. Hæcce tamen innotuere saltem ex signis: Rheumatismus maxime incumbit ligamentis et fasciis tendinosis, modo musculos torquens ‡; ipsa ligamenta cohæsisse, induruisse, vel inflammata esse, videntur. Fibrina subinde profusa esse

---

* Hoffman, Boerhaave, Van Swieten, Callisen, Haygarth, &c. jam antea citat. Necnon Edinburgh Journal, vol. ii. p. 448.

† Home Principia Medicinæ, p. 181. Hoffman, Haygarth, &c. Necnon Récueil Periodique de la Société de Medecine de Paris, tom. v. p. 147.

‡ Vide Observationes de Variis Inflammationis Speciebus, a Smyth, qui sentit musculos præcipue laborare. Medical Communications, vol. ii. p. 217.

conspicitur in telam reticulatam, parti affectæ vicinam *.

Morbus insidens cordi acrius medicorum Londini studium sibi conciliavit; eoque scalpellum hic nos nonnihil edocuit, et malum illustravit; cor amplificari, crassius esse, et ejus capsula vel inflammari vel fibrina scatere, plerumque conspiciuntur. Aliquando cor non mutatur, molem aut fabricam; at ejus capsula inflammata esse, et fibrina obduci reperitur, et subinde ipsi cordis tunicæ adhærescere.

Mihimet accidit certiori fieri de uno alterove exemplo rheumatismi in cerebrum incidentis, hujus inflammationem simulantis, et in mortem desinentis: inspectis corporibus, notæ inflammationis consuetæ non prodiêre. STORCK, quædam hujusmodi exempla memo-

---

* Haver's Osteol. Nova, p. 226, 227. Van Swieten Commentaria, tom. v. p. 646.

rans, testatur se seri copiam inter cerebri membranas et in cavis introspexisse; et etiam, pectore affecto, inter pulmonum membranas*.

De Causis Morbi.—Etiamsi hic morbus fere ubique grassari soleat, ex medicorum scriptis, incolis frigidarum quam calidarum regionum opportunior esse videtur; et maxime urget, ubi cælum frequenter et subito variat: unde, Britanni potissimum torquentur. Indiis Occidentalibus raro contingit †. Non omnibus anni temporibus pariter invalet. SYDENHAM placuit, autumno ‡; HOFFMAN, hoc et vere ||, quod plerique sentiunt, eum præsertim sævire §: rarius hyeme vel æstate accidit. At vero

* Storck. An. Med. 2dus. p. 119.

† Hillary on the Air and Diseases of Barbadoes, 2d edit. p. 41. 109. Clark's Observations on Long Voyages to Hot Climates, p. 430.

‡ Sydenhami Opera, l. c.

|| Hoffmanni Opera, l. c.

§ Cullen's First Lines, et Opera fere omnium hoc malum describentium.

quibus mensibus præcipue homines in eum incidant, minime inter omnes convenit; ut apparet ex scriptis a WINTRINGHAM, FOWLER, HAYGARTH, WILLAN et aliis *. Hujus rei cognitio amplissimam desiderat experientiam; et quum quosdam præ cæteris annos, nulla manifesta cæli proprietate insignes, affectat hic morbus †, sentio quasdam aëris conditiones aciem sensus et chemiæ fallentes, multum ad hanc rem conferre ‡. Quidam sunt suspicati rheumatismum epidemice sæviisse ||.

Quæ ætas, quis habitus ægri sit, permulti

---

* Wintringham's Works, vol. ii. p. 239. et seq. Fowler, Haygarth, Willan jam citat.

† Edinburgh Journal, varis locis, sub capite, "Report of Diseases treated at the Public Dispensary, London."

‡ Hanc sententiam a Doctore Currie, apud Valetudinarium Guidianum Londinense, de Medicina Practica prælegente, audivi.

|| Home's Medical Facts and Experiments, p. 76. Vogel, de Cogn. et Curand. Præcip. Corp. Human. Affect. p. 369.

refert considerare, quippe quæ multum ad morbum inferendum valent. Rarius adoritur infantes aut seniores *; longe sæpissime, ut conjicio, auctoritate spectatissima fretus, pubescentes, quadragenarios, et inter has ætates medios †. Quo validior, plenior, et magis luxui otioque deditus quis esset, eo facilius ægrotabit, præsertim cohibitis exinanitionibus solitis. Morbus utrumque sexum invadit, at fœminas præ maribus, nonnullis; mares præ fœminis, aliis testantibus ‡.

Res est memoria digna arthriticis prognatos aliis procliviores esse, quos juvenes tenta-

---

* Haygarth et Heberden, tamen, hujusmodi exempla narrant. Vide Haygarth's Clinical History, p. 22. et Heberden Commentarios, edit. ult. p. 344.

† Cullen's First Lines, loc. cit. Fowler's Medical Reports, p. 259. Præcipue tamen hic morbus a pubertate usque ad annum ætatis vigesimum grassatur. Vide Fowler et Haygarth.

‡ Fowler's Medical Reports, p. 259. Haygarth's Clinical History, p. 20.

ret hic morbus *. Semper quo sæpius jam antea accesserit, eo facilius, et eo levioribus noxis admotis, rediturum esse constat †.

Quum frigus, quodammodo admotum, morbum antecedere consuevit, usitatæ noxæ excitanti habitum est. Quomodo hoc præstat, alii, alias sentiunt. Quibus placuit, acrem humorem ad artus delatum, causam esse malorum; ii statuerunt frigus morbum incitare, oras vasorum cutis stringendo, ne exiret ille humor ‡: alii perhibent frigus hoc facere, sanguine intus avocato, præ vasis summæ cutis constrictis ||.

Frigus, si corpus calefactum excipiat, lon-

---

* Heberden Commentarii, p. 342.

† Haygarth's Clinical History, p. 30.

‡ Commentaria de Van Swieten, tom. v. p. 650.

|| Idem Liber, p. 648. Cullen's First Lines, loc. cit.

ge potentior fit noxa; eo magis, si humiditati accederet *.

De Causa Morbum continente.—Alii alias senserunt de causa morbum amplectente, quæ *proxima* vocatur. Hanc quidam esse humorum in artubus *acrimoniam*, alii *lentorem* censuerunt †: alii porro, humorem esse acrem, quem ad artus delatum, rheumatismum, ad faucium aut fistulæ animæ membranam, catarrhum, et aliorsum alios parire morbos judicârunt; quos omnes non nisi sedem inter se discrepare putârunt; eoque, nomen *rheumatismus* imposuerunt huic morbo, nimirum ex græca voce ῥέω, id est *fluo* ‡.

Ex quo vetus humorum pathologia obsolue-

---

* Storck, An. Med. 2. p. 112. &c.

† Commentaria de Van Swieten, var. loc. Riverius, Hoffman, &c.

‡ Chesneau et Van Swieten.

rit, hæ omnes evanuerunt sententiæ; et hodiernis placet, qui *vires motrices* magis quam *humores* respiciunt, istum arteriarum motum, qui inflammationem constituit, in artubus orientem, rheumatismi esse causam proximam *; utpote inflammationis propria huic morbo contingunt; qui ligamentis, tendinibus et *aponeurosi* articulorum, forsan etiam musculis incumbit; quarum partium fabrica, et potissimum aliqua proprietas morbi ipsius, non probe comperta, faciunt ut suppuratio et gangræna, quæ, alias compluries, hanc inflammationem vix aut ne vix consequantur. Quoad istum arteriolarum statum qui gignit inflammationem, earum intentiori an pigriori motui debeatur, in dubio est †, et diu disputatum;

---

* Boerhaave, Simpson, Van Swieten et alii, inflammationem ex acrimonia vel lentore orientem, causam esse; Cullen tamen actionem vasorum propriam, putaverunt.

† Hoffmanni Opera. Cullen's First Lines. Latta's Surgery. Hunter on the Blood. Wilson on Fever.

neque facile, aut nostro proposito consentaneum esset, has lites componere. Unico placuit, causam proximam esse, ramulos minutissimos vasorum resorbentium, in parte læsa, humore suo præter consuetudinem refertos, ex truncis frigore constrictis; unde putat frigus ciere morbum * : Meminisse hanc opinionem est refellere; rationi et usui contraria est. Multiplicem agnoscit causam tumor juncturæ, ut supra dixi; nunc vasis sanguineis refertis, nunc sero, in cellulas telæ reticulatæ, vel in *bursas mucosas*, vel ipsam juncturæ cavitatem, profuso tribuendus.

Quod ad rheumatismum aliorsum translatum, fateor ejus rationem et causas me penitus latere. Londini, et in magnis urbibus, imbecillitatis plus quam alicubi habere videtur; ex qua, vel alia causa ignota, ibi proclivior est,

* Pamphlet on Rheumatism and Gout, by T. Latham.

qui in instrumenta vitæ necessaria incidat. Veteres senserunt hanc translationem factam esse *humoribus acribus*, qui morbos gignerent, aliorsum avocatis; at verisimilius est hanc potius ad *actionem*, quæ morbos parit, conversam in alias partes esse referendam *.

Quomodo Morbus dignoscatur.—Hucusque absoluta re proposita, videndum est quæ mala huic adeo consimilia sint, ut medico suæ artis perito sit errandum. Hæc profecto pauca sunt; et si studiose signa scrutemur, fere morbus non difficilis erit discretu.

Rheumatismus acutus in chronicum desinere consuevit, cui auxilia antea valentissima parum accommodata fiunt; ideoque nostra plurimi refert hunc ab illo accurate dignoscere.

---

* Commentaria de Van Swieten, tom. v. p. 654.

Hoc autem interest inter eos, quod acuto semper, chronico nunquam adest febris; quod illi, plures artus simul cruciantur doloribus, hic illic migrantibus; huic sæpe unicus, et plerumque, fixis. Ille juniores, inter annum decimum et trigesimum, pleniores et vegetos; hic fere non nisi annum vigesimum et quintum agentes, et quadragenarios, aut homines mediæ inter has ætatis, adoriuntur. Ille artus superiores, hic inferiores potius male habet. Dolores tactu, motu, et fortasse lecti calore, saltem noctu, illi ingravescunt; huic fere mitescunt *. Hisce autem notis, a doloribus scorbuto aut morbis veneris ortis dignoscitur, febre, tumore et rubore his nullis; artu dolente morbis veneris aliquando nodis deformi, et ejus medio maxime cruciato, at finibus artus, rheumatismo: porro noxis antecedentibus utriusque cognitis.

---

* Hæc conclusa sunt ex variis auctorum supra memoratorum argumentis, &c.

Quid inter rheumatismum et arthritidem intersit, permagni refert cognoscere. Plerique scriptores eos quodam nexu inter se conjunctos esse opinantur; neque differre, nisi quod, ille partes quasdam, hic totum corpus afficiat; eoque putant illum in hanc tandem abire*. Ipse HEBERDEN eos esse quodammodo inter se cognatos suspicatur †. At hodierni contrarium sentire videntur; neque celandum est, hos morbos sibi invicem maxime dissentire; ad quam rem spectavit CULLEN utramque definitionem conscribens. Ex frigore, externa et evidente causa, semper rheumatismus; arthritis sponte adoriri consuevit, certeve antecedente nulla sæpe manifesta noxa. Hanc definitionis partem idoneam esse negatur; arthritis enim, si causæ opportunitatem dantes adessent, iisdem excitantibus noxis, quibus

* Ballonii Opera, et Commentaria de Van Swieten, loc. jam citat.

† Commentarii Gulielmi Heberden, p. 342.

rheumatismus, oriri potest. Rheumatismo, id quod optime notavit Cullen, artus majores, arthritidi, minores potissimum plectuntur. Ille, ab initio palans, plures artus inferiores et superiores sæpe torquet; hæc uni tantum parti inferioris artus, sæpenumero primo articulo pollicis pedis, insidere consuevit. Illi articuli manuum, huic pedum sæpius plectuntur. Illi dolor obtusus et rubor fere nullus; huic articulus acute dolet, levissimi tactus impatiens; etiam ardet, saturate rubet, et quodammodo splendet. Non eadem ætas utrique obnoxia est. Arthritis raro impuberes, præsertim ætate provectiores; rheumatismus interdum ante decimum quartum, rarius post quadragesimum et quintum ætatis annum invadit *. Illa sæpissime est morbus hæreditarius; hic rarius, fortasse non omnino. Porro rheuma-

* Hæ fere omnes notæ a Heberden optime et elegantissime memorantur. Vide ejus Commentarios, p. 52.

tismum acutum semper, arthritidem rarius, febris comitatur.

Hæ notæ eos jam nascentes invicem discernunt. At sunt aliæ, si graviores fuerint, vel inveteraverint, inter quas, est imbecillitas et acor ventriculi ad dyspepsiam referenda, quæ sæpenumero, fortasse semper, comitantur arthritidem; cujus impetus breviores sunt quam rheumatismi, et crebrius revertuntur. Neque raro fit ut rheumatismus semel tantum in decursu vitæ aliquem torqueat. Illi cutis rupta fœdatur, duro et immobili artu relicto; nimirum arteriæ *tophos* ad articulos secernunt: huic artus fere nunquam exulceratur, at ligamentis cohærentibus vel musculorum vi imminuta, sæpe rigescit vel paralyticus fit. Denique, nec celandum, valetudinem aliquando adeo esse multiplicem, ut ad utrum eorum attineat vix ulla ratione sit statuendum *.

* Hoc etiam Heberden bene notavit. Vide Comment. ejus, p. 54.

Quæ spem quæ metum indicent.—Bonum eventum sæpius esse præsagiendum scire licet; siquidem, morbus artubus incumbens, rarissime occidat: quod si pulmo cerebrumve inde lædatur, quantula spes, quantum vitæ discrimen sit, neminem rei medici peritum latet; id quod jam antea observatum est *. Neque, corde laborante, mirandum si gravissimus sit metus; eo magis, quum neque rite saliat, et spiritum nequit non graviter perturbare: at vero miser diu vixit hoc affectu implicitus, spirans ægerrime, et abnormi motu vel palpitatione cordis vexatus: unicam tamen sic correptam convaluisse novi. Rheumatismus chronicus sæpe acutum consequitur, difficillimus sanatu; et paralysis aut rigiditas eundem excipientes nonnunquam auxiliis nullis cedent; et medico confitendum, medicinam morbo imbecilliorem. Hæ autem notæ insigniunt morbi declinationem in salu-

* Boerhaave, Hoffman, Callisen, &c.

tem: Summum corpus sudore diffluens, alvus solutior, aut sanguinis profusio, febris et dolores artuum leniti, qui nullo profluvio subinde per se sponte quiescunt *.

QUÆ SIT RATIO MEDENDI.

Quod ad morbi curationem pertinet, remedia sunt duplicis generis; imprimis, quæ ineunte, dein quæ inveterascente morbo juvant: utraque sunt vel generalia vel localia.

Initio autem usurpari solent, quæ febrem et inflammationem minuunt et sedant; hæc autem ordine memorandum.

* Home, Principia Medicinæ. Hoffman. Haygarth, et alii.

Sanguinis Detractio. — Venam feriendam fere omnes præcipiunt. Huic principi remedio innixi sunt BALLONIUS * aliique, uti videtur, qui ante hunc floruerunt †: quos imitati SYDENHAM, HOFFMAN, CULLEN, et plerique hodierni eodem auxilio fere semper utuntur.

Haud dubito quin plerumque sanguis e brachio emissus multum juvaret; neque tamen desunt exempla ejus fere nil proficientis. Vegetis et junioribus ægrotantibus, arteriis concitatis, et doloribus sævientibus, venam incidere sine dubio est sæpe morbum mature solvere; at cavendum ne huic præsidio plenius aut sæpius adhibito, superveniret rheumatismus chronicus, qui solet esse multo difficilior sanatu quàm acutus. Hoc observavit noster eximius HOME, cujus auctoritati luben-

* Balloni Opera, tom. iv. p. 501.

† Galen, Aretæus, Ægineta, &c.

tissime confido. Fertur viginti libras sanguinis, triginta et sex horis, missas esse; cui rei impotens refellendi minime tamen fidem habeo*. SYDENHAM quater vel quinquies secandam esse venam imperat, interjectis biduo triduove†: aliis placuit sæpius esse secandam, donec evanescat superficies coriacea; quæ lex non sine gravi metu esse videtur; cum enim signis mitigatis, sanguis non semper hanc crustam exuit, magna imbecillitas et morbi inde orientes, necesse est eam consequantur. Longe præstat a GREGORY præceptum, scilicet, sanguinem esse eliciendum dum conquieverit arteriarum insolita incitatio, et ictus molliores et magis naturales evaserint. Circiter uncias decem duodecimve bis terve emittere, pro ratione signorum, multo erit satius: aliquando, morbo leviori, hoc auxilio non omnino est opus. Urbanis omnibus morbo labo-

* Commentaria de Van Swieten, tom. v. p. 664.

† Sydenhami Opera, p. 238.

rantibus, præsertim Londini, ætatem agentibus, nonnunquam nocentissimum esse videtur; nimirum luxus et vitia urbium propria imbecillitatem moliendo, inflammationis in debilitatis speciem convertunt: porro hoc auxilium liberiore manu admotum procliviorem morbum facit, ut nonnulli volunt, qui aliorsum transferatur *.

Juvabunt missio sanguinis localis per cucurbitulas vel hirudines, et vesicatoria, ni morbus hinc illuc vagetur, ad dolorem et inflammationem leniendos; at hæcce præsertim, stimulando, irritamenta malorum erunt, morbo jam sæpe hinc horsum palante †.

Alvi Purgatio.—Sales medii, ducendo alvum, auxiliari possunt, ni motus artuum adeo dolores exasperet, ut non plenius assumen-

* Fordyce's Third Dissertation on Fever, p. 17. & 18.

† Hæc Fowler laudat ad ruborem et dolorem levandum.

di sint; his tamen aut medicamentis in alvum infusis, venter paulo solutior servandus. Optima ad hoc consilium sunt, Sulphas Sodæ aut Magnesiæ, Tartris Potassæ aut Potassæ et Sodæ, vel Phosphas Sodæ.

Medicamenta quæ sudorem promovent.—Fere inter omnes convenit, ea quæ sudorem eliciunt optimo esse præsidio. Hæc autem maxime sunt, ex Opio, Antimonio, Ipecacuanha et Submuriate Hydrargyri præparata: horum Pulvis Ipecacuanhæ et Opii, quem DOVER confecit, præpollet*. Aliis satius videtur Guaiaco Officinali uti †: aliis Opio cum Submuriate Hydrargyri ‡; denique, Aqua Acetitis Ammoniæ cum Vino Tartritis Antimonii, et Tinctura Opii vel Carbonate Ammoniæ. Inter hæc æger accinctus foret ad sudorem, af-

* Fowler's Medical Reports. Clark on Long Voyages.

† Fowler.

‡ Medical Commentaries, Dec. 1. vol. ix. p. 198.

fatim potus diluti tepidique bibens. Hæc præclarus HOME laudat, et plerumque multum prosunt. Tamen, si adhuc febris urgeat, neque vis cordis et arteriarum sedetur, quæ valde sudorem promovent, omittere præstabit; quippe quæ, constrictione vasorum cutis nondum resoluta, intentiorem justo corporis actionem cierent. Quibusdam placuit Opium ægro consulere, vel ad dolorem levandum, vel ad sudorem eliciendum *; quod tamen, febre urgente, præ dote qua pollet incitandi, noxæ non auxilio habendum. Multi calidarium laudant, quod opem pollicetur, cutem resolvendo, eoque sudorem movendo; at quia corpus, ex ejus usu, facilius frigus colligit, hoc vestitu idoneo præcavendum †.

---

* Edinburgh Journal, vol. i. p. 154. et Comment. a Heberden, p. 347.

† Falconer on Bath Water, p. 119. edit. 2.

Nitras Potassæ, olim usitatissimus, nunc valentioribus palmam cessit *.

Digitalis Purpurea. — Audivi Digitalem Purpuream, bis sine fructu adhibitam, et mortem esse consecutam; ex hac vel alia causa non habeo compertum †.

Remedia extrinsecus adhibita, febre manente et artuum malo vagante, parum fortasse prosunt; optima tamen sunt Cataplasmata emollientia vel Fotus.

Initio morbi, pyrexia urgente, regimine antiphlogistico acriter utendum.

Morbo provectiore, et inflammatione sedata, venam ferire nocebit; sed cucurbitulas cum ferro aut hirudines admovere juvabit;

---

* Brocklesby's Œconomical and Medical Observations.

† Medical and Physical Journal, vol. vii. p. 155, &c.

et eo magis, quo magis pars doleat et tumeat; et præcipue si morbus unico insideat artui. Quæ ægro sudorem conciliant, hic liberius utendum, quorum præpollent quæ Opium, Ipecacuanhæ, Antimonio aut Hydrargyro accedens habent, Resina Guaiaci Officinalis et Calidarium*. Inter hæc æger ad sudorem accingendus est. At interdum, multo magis proficiunt tantuli modi, ut citra sudorem halitum cutis evocarent.

Tonica.—Hæc apprime valent, et cætera exuperat Cortex Cinchonæ Officinalis, cujus utilitati summa auctoritate nixus, confido. Monton et Hulse dein Fothergill curantibus, summo extitit auxilio †. Saunders et alii etiam, rheumatismum febri intermittenti vel remittenti cognatum putantes, cinchonam

---

* Fowler et alii hæc laudarunt, necnon vide Duncan's Medical Cases and Observations, p. 50.

† Haygarth's Clinical History, p. 48.

ante accessionem vespertinam sumendam monent *, etiam morbo jam ineunte; quam Skeete, inflammatione initio ardente, aversans, non nisi hac remissiore convenire putat †. Nuper Haygarth multum eodem pertinens luculentissime scripsit, et Antimonio paratis imprimis utens, dein fere nulli alii auxilio fidet. At Edinburgi, Home præstantissimo testante, hæc curatio quam Londini minus convenit, cujus rei rationem jam memini; et judice nostro Duncan, præsertim in *irritabilem rheumatismum* idonea est.

Febre penitus conquiescente, et rheumatismo chronico aut resolutione nervorum instante, tonicis et stimulantibus validioribus intus et extrinsecus utendum est. Nunc

---

* Saunders on Red Bark, 4th edit. p. 74. et Fordyce's Third Dissertation on Fever, p. 17 et 18.

† Skeete on Bark, p. 227.

potissimum uti oportebit ex Argento Vivo * aut Arsenico paratis †, id est hujus Fowleriana præparatione nempe Arsenite Potassæ aqua soluto.

Hoc tempore morbi, quædam narcotica, scilicet Hyoscyamus Niger, Atropa Belladona, Aconitum Napellus, Conium Maculatum vel Rhododendron Chrysanthum laudata sunt ‡. Frigidarium, Electricitas §, et multa alia præcepta sunt, de quibus hic alienum esset longius disserere.

Localia.—Frictio quam GROSVENOR, Oxoniensis, fere commodo incredibili in vitia juncturarum adhibuit, vel mera, vel linimentis

---

* Clark on Long Voyages.

† Bardsley's Medical Reports.

‡ Murray Apparatus Medicaminum. Cura Althof. D. tom. i. p. 667. 649. 326. tom. vi. p. 78. &c.

Edinburgh Med. Commentaries, vol. v. dec. 1. p. 434.

§ Edinburgh Medical Commentaries, vol. viii. p. 314.

acrioribus accedentibus, plurimum valebit, morbo fixo. Ex his, nostro præstantissimo Home, Tinctura Opii et Meloës Vesicatorii optima esse videntur. Alia sunt Oleosa, cum Aqua Ammoniæ, Oleum Jecoris Asellii *, Oleum Tereb. cum Camphor †.

Signis cerebri, cordis pulmonisve læsorum urgentibus, oportet statim elicere sanguinem; vesicatoria quam proxime partem affectam imponere; et quæ halitum cutis leniter provocarent, et alvum solicitarent strenue adhibere; postea tonica leniora, et, signis hydropis accedentibus, diuretica.

Regimine antiphlogistico, hic, ut inter acutum artuum rheumatismum, studiose utendum. At semper, inflammatione conquiescente, conveniet cibus nutriens neque stimu-

---

* London Medical Journal, vol. i. p. 226.

† Home's Clinical Experiments, 3d edit. p. 281.

lans, potissimum ex lacte et frugibus confectus: postea lautior idoneus erit, nimirum e carnibus assis aut elixis.

Per totum decursum morbi vitandum est, summo studio, cælum frigidum et humidum, præsertim quod cito aliud ex alio fit, nunc ardore nunc frigore infestans. Ad hunc finem, æger sibi melius consulet, indusio laneo sub omni tempestate vestitus, et etiam quando convaluerit. Nunc, denique, se leniter exercitare oportet.

Hæc sunt quæ morbum vel lenire vel sanare possunt; neque tamen celandum medicinam eo interdum imbecilliorem esse, et nulla remedia salutem reducere.

Proposito nunc pro viribus absoluto, haud mihi negligendum confiteri, me plurimum imbuisse scientia medica hanc almam Academiam, scientiæ medicinæ summum fontem; nec unquam obliviscar quantum fructum Londini percepi, dum nosocomium Sancti Thomæ frequentarem; et diu adhuc hinc eadem commoda, aliis præberi posse, precor.

Præsertim Home præstantissimo grates persolvendæ sunt, ob ejus amicitiam et optima præcepta, quas tamen dignas referre vix opis est meæ. Diu vivat et valeat ad artem Apollinarem ornandam, et alios futuros eadem instruendos.

FINIS.